



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.

Antverpiae, 1657

Titulus I. Vis Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

OLIVERII FLORENTII
 VVATERLOOP,
 POEMATVM SPIRITVALIVM
 PARS TERTIA.

Vis Ordinis.

i. **R**Es unaquæq; plurium
 Distinctione partium,
 Nexusq; constat. Totius
 Pars omnis, vnum conficit.

Sic plus in uno jungitur;
 Et illa multitudinis,
 Omnisque differentia
 Iunctura gignit Ordinem.

Hæc una origo est Ordinis:
 Ex unitate plurium
 Exurgit ordo: ab ordine
 Rerum fluit proportio.

Proportione partium,
 Aptaque convenientia,
 Totius elegantia
 Et pulchritudo nascitur.

Sic pulchra militum manus,
 Sic pulcher est exercitus,
 Cum membra multiformia
 In corpus unum confluunt:

Cùm militum distinctio,
 Distinctionis unio,
 Series & ordo, exercitum
 De plurimis unum facit.

Sic pulchra ridet musica,
 Quæ per sonorum plurimum
 Discordium concordiam
 Molli catenâ nequitur.

Ter-maximo Dionysio,
 Summoque Thomâ testibus,
 Pulchrum, bonumque, mutuo
 Et congruunt & dissident.

Id esse pulchrum quod bonum,
 Et esse quod pulchrum bonum,
 Vterque monstrat; sed negat
 Idem esse pulchru quod bonum.

Pulchrum istud est, quod vis amet
 Intelligendi agnoscere:
 Proprie id bonum, quo perfici
 Amet voluntas agnito.

Poten-

Potentiae atque robori
Vbiique praefer ordinem:
Est ordo robur, & tui
Dux atque custos roboris.

Hic civitates, totaque
In pace regna continet,
Firmatque : sic exercitum
Bonus ordo victorem facit.

Est vnitas fons ordinis;
Ruina paritas, & caput
Confusionis : dilige
Vnita propter ordinem.

Cum disciplinas optimus
Magister ordo pervias
Facilesque reddat ; ordinem
In rebus & verbis ama.

Veri, bonique, & ordinis
Amore, Carmen aestima:
Pulchri esse studioso licet;
Malè curioso non licet.

Veritas. Falsitas.

I. **F**Idiu apud antiquos frequens,
Nulla est fiderum mentio:
Est multiplex hoc saeculo;
Fuit una prisorum fides.

Si veritatis, ut liquet,
Est falsitas corruptio,
Fuitque quod corrumptur;
Fuit ante falsum veritas.

Si quo vetustas notior,
Hoc certior fit veritas;
Veram esse certò comprobat
Antiquitas Ecclesiam.

Veram esse Romanam probat
Antiquitas Ecclesiam:
Nam quo vetustas notior,
Hoc certior fit veritas.

Vt cumque sit mendacii
Cursus celer ; tacito gradu
Hoc deprehendit, filia
Prioris ævi, veritas.

Mendacium quisquis docet,
Doctrina mox ejus perit:
Eius perennat gloria,
Qui veritatem seminat.

Prudenter à mendacibus
Secerne veros vatibus :
Attende ne rabiem lupi
Ovina pellis contegat.

Non in tabernis, aut novis
Tenebrionum circulis
Antiqua, tuta, sobria
Addiscitur sapientia.

Te vera doctrina ad bonum,
Te falsa ducet ad malum:
Fons est bonorum veritas;
Radix malorum falsitas.

Ad recta sanctorum fides,
Ad curva dicit haeresis.
Fuge rebus in curvis malum;
Amplectere in rectis bonum.

V 3 Audi